



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Divortio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

alia exempla in historijs obuia sunt plurima, quorum consideratio & nostro tempore utilis est, ne propter religionem coniuges diuellantur, qui manere in eodem coniugio cupiunt, ut sæpe propter sobrietatem ægre diuellantur. Et Christianus suis obsequijs retinere beneuolentiam coniugis studeat, ne captare occasionem diuortij videatur.

## DE DIUORTIO.

**D**ICTVM est in definitione, coniugium esse legitimam & indissolubilem coniunctionem vnus maris & vnus feminae. Nec dubium est, has restrictiones cõgruere ad primam institutionem, quia Deus voluit genus humanum non ut pecudes vagari commixtionibus, sed marem & feminam certo ordine copulatos esse, & huius ordinis obseruatione obœdientiam ipsi debitam præstare. **E**T hunc ordinem seuerissimis legibus sanxit, & perpetuo tristissimis pœnis in toto genere humano omni tempore confusiones huius ordinis punit, vt ostendunt diluuium, delictio Sodomæ, Sybaris, Thebarum, Troiæ, & plurimarum gentium. **E**T huius tantæ seueritatis causa est, quod vult Deus in genere humano lucere Castitatis intellectum, ut sciamus & ipsum esse mentem castam, & Castitatis amantem, & huius virtutis mentione discernamus eum a naturis immundis.

**S**ANXIT igitur statim initio, ne dissoluerentur coniugia, iniquiens: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Nam in hanc sententiam Dominus ipse hoc dictum citat, Math. 19. Et huic præcepto primi patres, Adam, Seth, & alij sine vlla dubitatione obtemperauerunt, & hanc doctrinam alijs tradiderunt. **S**E U postea laxata veteri disciplina, diuortia etiam recepta sunt, & eum iam ante Moysen vsitata essent, permixta sunt & voce legis Mosaicæ. Sed tamẽ initio metæ circumdata fuerunt, ne priuata leuitate fierent, sed in iudicij prius cognoscebantur causæ. **S**ANXIT igitur lex singulari consilio, ne rursus duceretur dimissa, quæ postea alteri nupta fuit. Detestatur enim Deus confusiones libidinum. **A** P U D veteres Atticos etiam consuetudo fuit, ut in iudicij causæ diuortij cognoscerentur. Sed postea apud Iudæos & Gentes secuta est maior leuitas & licentia, & priuato arbitrio facta sunt diuortia, siue causæ graves essent, siue leues, siue nullæ. Sunt & reductæ, quæ antea dimissæ fuerant, ut Cato petenti Hortensio cesserat Martiam, & post mortem Hortensij rursus eam sibi adiunxit. Talis leuitas occasionem quæstioni præbuit, Math. 19. Prohibet igitur Dominus diuortia in eo loco, excepto vno casu, videlicet adulterio, in quo casu persona suo scelere dissoluit coniugium, & è medio tollenda erat. Nec dissolutionis causa est persona innocens. Ideo vox filij Dei liberat innocen

innocentem personam. Extat & alter casus i. Corinth. 7. de defertore uel defertice.

## DE MODO PROCEDENDI.

NON sunt autem facienda diuortia sine cognitione legitimum iudicium, sed persona innocens, si uult fieri diuortium, petat a iudice uocari personam, quæ deliquit. Hic cum utraque pars uenit in iudicium, primum adhortandi sunt utrinque, ut redeant in mutuam gratiam: si non procedit reconciliatio, pars innocens non potest cogi, ut recipiat ream. **A V D I T I** s igitur partibus, & confirmata accusatione, si accusator honeste uixit, & petit ferri sententiam, pronuntietur hoc modo: Cum persona quæ deliquit, suo scelere dissoluerit coniugium, iudex autoritate Euangelij personam innocentem pronuntiat esse liberam, & expresse inquit, concedi ei, ut pro sua conscientia pie contrahat aliud coniugium.

**P O N T I F I C I** Canones faciunt diuortium nomine, non re, id est, non permittunt, ut persona innocens contrahat aliud coniugium. Sed cum Euangelium in illis casibus concedat diuortium, intelligatur, id non de inani uocabulo, sed de tali liberatione, quæ fit re ipsa, diuortium uidelicet, in quo non retineatur ligata persona innocens. **E**t fuisse hanc consuetudinem in Ecclesia ueteri, annotatum est ab Origene in Matthæum. Item ab Eusebio in Ecclesiastica historia, qui pagina 88. recitat historiam ex Iuliano Martyre, qui scribit, mulierem piam fecisse diuortium cum marito, polluto flagitiosis libidinibus, & publice accepisse libellum repudij, ut uocabant, id est, tabulas testificantes de diuortio. Et Hieronymus recitat Fabiolæ nobilis matronæ Romanæ historiam, quæ propter mariti scelera fecit diuortium, & nupsit alteri. Hæc exempla meminisse utile est, ad confirmandum morem iudiciorum in nostris Ecclesijs. **S I N** autem persona quæ deliquit non uenit in iudicium, sed aut contumaciter abest, aut inueniri non potest, cum accusator confirmata accusatione testes adducat, qui affirmant, eius famam integram esse, & petit se liberari, pronuntiet iudex, eum liberum esse, ut ante dictum est.

**S E D Q U I D F I E T D E P E R S O N A C O N D E M N A T A ?** An concedendum est ei, si adest, ut in iisdem locis uiuat?

**R E S P O N D E O:** Magistratus politicus adulteriam punire debet. Ideo persona condemnata, si non punitur durius, pellenda est in locis, ubi uiuit persona innocens, cui altera, uidelicet condemnata, uelut mortua existimanda est. Et hæc seueritas ad politicum magistratum pertinet.